



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

I. De immunitate ecclesiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

nore ditatus: quædam documēta, omni Christicola, ni fal-
lor, non indigna, quæ a præcedentibus illustrium virorum
præceptis certissima comperi, ad consolationem domini
mei regis, scilicet Edmundi, omnisque populi excellenti
imperio eius subiecti, in ista chartula coadunare decreui.
Vnde deuotissime obsecro, & clementissime hortor au-
dientium mentes, vt si quando hæc recitanda audiant, in-
teriorius videlicet in corde frequenti meditatione plantent:
& multiplici bonæ operationis munere, ex eo fructum pa-
catissimum in tempore messis sibi colligant.

C A P V T I.

Primo capitulo præcipimus & mandamus, vt sancta
Dei ecclesia, quæ sanguine Christi primum fundata est, &
fidelium multitudine, sponsa dealbata, nullis ingredietur
malorum interruptionibus. Nec alicui liceat censum po-
nere super ecclesiam Dei: quia filii ecclesiæ, id est filii Dei,
ab omni censu terrestri liberi sunt in omni regno. Ambro-
sius ait: Ecclesia catholica libera est ab omni censu princi-
pis. In historia ecclesiæ: Si quæ domus agri, vel quælibet
prædia a Christianis direpta sunt, siue sub fiscum regalem,
siue in dona collata sunt, hæc omnia in antiquum ius Chri-
stianis præcipimus reuocari. Gregorius enim ait: Si quis
ecclesiam Christi denudauerit, anathema sit, si non fa-
tisfactione emendauerit. Et iterum: Quisquis ecclesiæ
Dei parochias violare vel usurpare per rapinam tentauer-
it, ab ecclesiæ ministris excommunicandus est, & omni-
modo a corpore Christi alienus. Audent enim extra mili-
tes qui Christum crucifixerunt aliquid, qui ecclesiæ eius
disciplinæ regulis obedire contemnunt: ecclesia enim
habet potestatem ligandi atque soluendi.

II.

Secundo capitulo admonemus regem & principes, &
omnes qui in potestate sunt, vt cum magna humilitate suis
archiepiscopis, omnibusque aliis episcopis obedient: quia
illis claves regni cælorum datae sunt, & habent potesta-
tem ligandi atque soluendi: nec se magni pendant in sœ-
culari potentia, quia Deus superbis resistit; humilibus dat
gratiam: habeatque rex prudentes consiliarios, Deum ti-
mentes super regni negotia; vt populus bonis exemplis
regis & principum eruditus proficiat in laudem & glo-

Concil. Tom. 25.

H